Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-63341-p0001-0

VIII, 26.

2.708 b 7/0.721.
722.

Z-7086-9) Oballfrd Monument. Magdeburg. 1725

2) Blocii Conjectanea ad elymon. Magdeburg 1621.

3) Lotichii elegia de obsidio Magdeburg. c. not. Blocii 1621.

4) Kortholti diss. utrum Lotichius obsidionem Magdeburg. praedixerit 1703.

2721

5) Beschreibung der Belagerung und Eroberung der Stadt Magdeburg. 1677.

2.723

6) Walthen Saecorum Magdeburgi sic. Lauratorum decenn. I. 1730.

2.722.

7) Kurtze Beschreibung etlicher gemeinen Sonderbarer Sachen die Stadt Magdeburg betr. 1563.

2.710.

8) Beschreibung d. Belagerung des Herrn Stadt Magdeburg in vorigen Stand gesetzt worden jetzigen 1632.

2.710

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-63341-p0004-6

CONLECTA

CONJECTANEA

seu

CONJECTA

CONLECTANEA

ad

ETYMON

MAGDEBURG.

M. JOHANNIS BLOCI.

Typis BOELIANIS

Anno

M. DC. XXI.

Dn. M. Andr. Wickio Joannis
Daniel de Pomerania et Johannis Calvi

VIRGINIS

ad

VETERIS MAGDEBURGII

Occidentalium mediam Portam, quæ vulgo

Schrotorfiana;

VOTUM

DEVOTUM.

SEMPER PAX INTRA MUROS UT VERNET

ET EXTRA,

O DEUS, HOC SCIMUS MUNERIS ESSE

TUI.

ERGO, DA NOSTRIS, QUÆCUNQUE MERENTUR,

AMICIS;

SIT CUNCTIS ETIAM CIVIBUS ALMA SALUS.

M. J. B.

MAGI-

MAGNIFICE,

CONSULTISSIME,

AMPLISSIME,

DOMINE:

STEPHANE OLVENSTET;

J. D. U. præeminentissime;
Patriæ tuæ Consul prudentissime;
Dicasterij Bias clarissime;
Scholarcha honoratissime;

DOMINE,

MECOENAS,

COMPATER

Honore, amore, studio mihi perpetuum observande:

Perosæ difficultatis argumentum, & induſtriæ robuſtioris impendium eſſe videtur, ut exputentur primordiales Nationum & Urbium origines, cumq; illis PRIMARUM APPELLATIONUM, hoc eſt, ETYMI retroſisſimè fixæ radices. Digna ſanè res, quæ ſerio Patrum decreto mandetur ocioſis illis Urbium oneribus, qui Murciæ ſtupore torpeſcentes, ignobilem ſitus & antri Vacunalis tabem attrahunt, impunè quærentes quotidie novum alimentum inertiæ. Satis, inquam, hæc illis cruciamenti ſævitas eſſet, ut ne vitæ ſpiritum & tempus importunè conſumant (quod alioqui faciunt, uſu generis humani nullo, niſi ut melioribus æſtuantem annonæ caritatem & plagarum aſciam innoxijs illidant) ſaltem hoc in ſeponi paterentur, ut Antiquitatis & veterum hiſtoriarum inclyto litterarum ſtanno conſecratam memoriam diligenter & accuratè replicarent, ignota adhuc priorũ poſteritati prodentes: aut contra vagum dubietatis alicubi bivium ſeu trivium Hiſtoriæ Mercuriales ſtatuas erigerent; & in hodierno librorum ambitioſo mari Leandris Polymathicis ad Heronis optatisſimæ Veritatis portum & portam remigantibus laternam indubitatæ certitudinis appenderent. Videlicet, hoc (ſtudioſisſimo licet, & improbisſimo) conatu ſarciretur quadamtenus immenſa jactura Germaniæ: cujus Acta vetuſtisſima

ſtisſima & ævi primogenij tabulæ quandam oblivi-
onis cœcitatem induerunt, & irrecordabili ſipario
obliterationum involuta ſe conſepiverunt,&conſopi
verunt: ſic, ut hanc partem ad omnifariam ſcriptorũ
querellam nulli genti pejus noſtrâ fuerit conſul-
tum. Nam etſi veterum Cucullatorum enormis, in-
duſtria dicam an inſania,derivando Rerum & Urbi-
bium appellationes, iſti malo mederi cenſuerint,
antiquaLocorum,Civitatum,Provinciarũ,Fluviorũ,
Montium, Familiarum, & alia nomina de diverſis
linguarum ſtipitib9 ſudibusq; præuſtis defringendo:
ſæpisſimè tamen à vero nemore Antiquæ Veritatis
exerrantes imperitam & riſibundam illarum rerum
à ſuperficie cenſuram eventilarunt,oſſa medullamq;
tam non ſtringentes,quàm opinionũ externo corti-
ce ſaltim erraculum ſuum viriliter intexentes. Quem
in opicæ diligentiæ cinnum,aut circumtonſam Ori-
ginandi capſulã quomodo NOSTRÆ URBIS ETYMON
prolapſum aut abſtractum fuerit, poſt Eruditos ſu-
perforaneis hiſce plagulis oſtendere volueram. Poſt-
quam igitur ſub Anni jam creſcentis primùm Ho-
ras noſtra Tunicata Joventus Obſidionalem Hiſto-
riolam in Scholæ pergulâ à me auſcultaſſet,induſtri-
am horularum quotdam domi defalcans Orchome-
nijs meis, quaſi tollenonem in amnem Polymathi-
cum miſi. Quid exantlaverim à tam diverſorum
gurguſtiorum confligijs, ab ergaſtulo tantillæ ſe-
dulita-

dulitatis, ad hujus Judices & miriones meos intrepidè sisto: Et sisto, non massalem aliquam molam & molem, qualem invidæ linguæ crepitacula postulabunt: sed, ut habeant quod admorsicent, promo jam sapum de petris; defrutum de scopulis; mel aranearum, lac scorpionum; quomodo cunq; tandem ex informi suo cacabo tam enormes cacabarij diligentiolam hanc excantantes intimabunt, Qui, si

quasi foitacanes, à dentibus

latrabunt, hirrient, aut urticâ hac fatigati virosas in nos spumas evoment, in hunc eventum, egelidatæ erubescentiæ eorum tyrannidem flocci habens, innoxia dicibulorum hæc puerilium pabula seu potabula, sitientia Vestrum Defensorium, ecce Magnifice Dn. CONSUL, prodeunt. Prodeunt sanè, non adulantis famulabundâ linguæ proluvie: non cum aucupabundâ nummorum orexi, cujus lineam Honestatis obstrepitacula collineant è Depudentiæ campo. Absit hoc meis fortunulis comburium: alimoniam istâ accipiter argenti spontaneo palabundus exsulio nonnemo commercetur aut extorqueat. Sed nec tam apluda sim, velut in intermundio natus, ut à sanctificio meæ modestiæ pauxillum autoritati tanti Semonis, tant Solonis, qui verè & præfiscinies, accedere putem. Tot annos jã Anima Magna Tua Magnæ Urbis (quâ parte quidem Urbs melior est) Amor est, & Oculus: quia Reipubl. sapienter administrandæ modũ calles,

calles,indeclinabilis juſticiæ ſeveriſſimus Modimperator,Civium Affricanus,Curiæ Ulpianus, Atlas Dicaſterij,Scholæ Hercules,livorem inculpatæ vitæ claritate exoculans,furorum externorum leones exungulans,calumniarum feras exarmans,innatæ Virtutis,Ipectatæ Innocentiæ ſpeculo,ceu ſpiculo. Quibus à throno Veritatis titulis, ſi transſcribere fas eſt, quod mihi ſemper Auguſtus aut Cilnius fueris: ſi fatear apertâ voce quot benignitatum radijs adſperſeris me,quot tibi beneficijs emeris me: cauſa dicta eſt mei præfaminis. Quod ſanè non æquiparantiam munificentiæ tuæ ſtatui;ſed argumẽto fieri ſe deputat, ne claudas mihi tantæ ripas benivolentiæ: & eſſe teſtimonium cupit, quod pro meritorum amplitudine Mendicorum morem inſtiterim,qui cum porrectæ ſtipis dignitatem aut numerum precio pariare non poſſunt,gratidico ſaltẽ annutu, vel humili verborum admuſatiunculâ non nihil rependere teſtantur. Have,ſave,Magnifice Domine,ut Patriæ Bono, auſpicio tuo, conari tenuis grandia non refugiam, Dab. Gennæopoli, Anno M. DC. XXI. Kalend. Maijs.

M. A. & C. P. V.

ſervitor

BLOCIUS.

CONLECTANEA
sunt hæc
Benivole Lector;
quidni
CONFUSANEA?

Veniet tempus, ut in ordinem cogantur, quæ sturnatim hinc inde nunc huc nunc illuc subvolaverunt: Interea temporis, si placet hæc, quoq; ruminabis ADLECTANEA seu ADFUSANEA!

Lautere Warheit.

Von der Magdeburger Ordnung.

O Ilff JEsu Christ / wie mechtig sehr
Helt man den Hoffart jetzt für Ehr
Die doch von Anfang ist gestürtzt
Vnd doch die Stunde wird verkürtzt.
Die Ordnung mir gar wol gefelt /
Die man diß falß zu Magdburg hele /
Da dann nicht muß ein jederman
Das tragen / das er zahlen kan /
Sondern was da des Landes Sitt
Vnd Raths Statuten bringen mit.
Mit welchem sie groß Ding ersparn
Viel Geldes in der Stadt bewahrn /
Das sonst die Kramer mit Gewinn /
In ander Landtschafft trügen hin.
Wann diese Ordnung hin vnd her
Im Teutschen Land verordnet wer /
Als würd der Mangel in gemein
So groß nicht an dem Gelde seyn /
Als er wol ist / welchs dann die Pracht
In allzu hoher Kleidung macht.

Barthol. Ringwaldt.

PRius & antiquius Urbis noſtræ nomen fuiſſe Mevium ex Ptolomæo libr. 2. Geograph. Meſoviũ, ex Bilibald. Pirckheimer. Geograph. & Tabul. German. Schopper. Chorograph. c. 10. Meſuium. ex Laurent. Gottij Catal. nomin. propr. antiqu. popul. ferè conſtat. Sicut olim Tuliſurgium, Aliſus, Argelia, Calægia, Helenopolis, Lirimiris, Pheugarum, Segodunum, Treva, vocabantur: quæ Hodie, Brunſvviga, Brandeburgum, Torga, Francofurtum, Lubeca, Halberſtadium, Norimberga, Hamburgum, appellantur.

Deinde Suevorum alijs Slavorum idiomate Meziboſum. Spangenberg. Chronic Mansfeld. cap. 74. fol. 73. Pomar. Chron. Saxon. p. 32. & Mezibozum eſſe nuncupatam Cromer. lib. 2. Polon. in Leſco 2. & libr. 3. in Boleslao Primo. Joach. Vaget. Præcidan. de orbe habitab. teſtantur. Confer. Adelar. Erich. Gülich. Chron. lib. 3. ubi videtur Magdeburgum vetuſtiſſimum eſſe & fuiſſe nomen Urbis: cui Slavi aliud Meziboſum puta indiderint, expreſſa verba ſunt: Carolus Magnus hat die Stadt Mezibozum an der Elbe den Slaven wieder genommen / vnd dieſelbe wieder nach jhren alten Namen Magdeburg zu nennen verordnet / vnd den Sachſen ein eigen Landrecht gegeben.

Hæc prima nomina tantam antiquitatem redolent, ut cauſa nominis, & principij veſtigium, ne vola quidem, perſtricturam ullam apparere videatur: niſi confugiamus ad aliquam conjecturam Autoris primævi, qui principio ſtructor & eductor horum locorum fuerit.

Quamobrem, ſi licet impune, quod videtur, effari; multorum teſtimonio perſpicuum eſt, quod GOMER filius Japheti, nepos Nohæ, quem totius Orbis ſcintillam. Læl. Biſciol. tom.

Nomen Civitatis duplex eſt.
1 Propriũ & nativũ.
2. Acquiſitum & adoptivũ
Propriũ ratio triplex eſt.
1 Barbara Mevium, Meloviũ, Meziboſum.

Noha Orbis ſcintilla.

Cum-mern unde?

tom.2.lib.8.c.8. n.6. designat. Gen. 9. v. 18. cap.10.v.2. (qui GOMER *nomen ab eventu sortitus fuisse dicitur; quia Patris Japheti benedictionem, de Populorum amplificatione Gen. 9. v. 27. viriliter impleverit & adeò fere* Consummaverit. *(Siquidem* Gomer *Hebræis, est qui Consummator Latinis) non tantum in Græciâ Galatis, qui ab ipso* Gomarenses *appellati; censente Josepho; sed etiam per posteros nostris, ubi degimus hodie, locis innotuerit: cuius rei indicium esse possit, nobilis illa Dynastia, quæ secundo miliari distat à nobis, & ad Illustriss. Electoris Saxoniæ ditionem hodie spectat:* Gommern *sive corruptè* Gummern *à Patriarchâ Gomer indigitata. Petr. Albin.* Meißnisch Land Chronic. *titul.2.*

Gomer *autem hic genuit liberos: quorum primogenitus erat* Ascenas: *secundus* Riphat, *à quo oriundos esse numerant Sarmatas, hoc est, Polonos, Borussos, Russos, Livonos, Lithuanos, partim etiam Moscos; quos omnes Vetustas* Riphæorum *titulo complexa fuerit: tertius Thogorma, cuius posteri versus Septentrionem resederunt. Genes. c.10. v.3.*

Ascenas *autem, de sententiâ Schopperi, natus, Anno post diluvium 131. seu post divulsionem linguarum Babylonicam. 31. profectus fuit ex Armênia in Orbis terræ partem, quæ Europa dictitatur per fluvium Tanaim ad Rhenum & Albim. & huc venit Anno Mundi 1906. à diluvio 250. (Chronicon Juliacense id factum fuisse memorat Anno Orbis conditi. 187. à diluvio 130.) Conf. Didac. Apolepht.* Regenten Keyser-Chron. *p. 4. Comites illi fuisse leguntur hi primarij (1) Scytha, cognomento Priscus. (2) Sarmata (3) Dacus, qui & Danus. (4) Tibiscus. (5) Getha, cui nomen & Gothus erat. (6) Mœsus, unde Mœsia. (7) eiusdem filij duo, Brigo (8) Thynno (9) Dalmatas; (10) Jader (11) Alban. (12) Savus. (13) Pannon de quo Pannonia, vid. Histor. Chronol. Pannon. à princip. cum fratribus (14) Salon (15) Azalo (16) Hister. (17) Adulas (18) Diclas. (19) Obalus (20) Epyrus. Horum omnium posteri,*

posteri, sine dubio quia tecta, casas, vicos, opida, arces pro ratione camporum, nemorum, & fluminum struxerunt: legibus quoq; sancitis viritim cuncta muniverunt, & quam quisq; terram excoleret, de suo Ducis nomine nominari curaverunt. Nam, ut ex Sacris Historiarum Pandectis patet, honoris haut exigui esse rebantur Patriarchæ, Reges præpotentes, & Heróes virtutum meritis & famá florentes, alijq; qui potuerunt prodesse plurimis, si de suo suorumve nomine totæ provinciæ, civitates, castella, populi, fluvij, nemora, montes, & alia talia nuncuparentur. Hunc enim ritum isthæc veneranda Vetustas, pro scutis, galeis; monumentis ut monimentis dignitatum, asservabant. Hinc ab Ascane multa loca, plurimæ quoq; voces in Germaniis nobilitatæ fuerunt: Ascheburgum, prope Rhenum; & aliud, ad Mœnum in Archiepiscopatu Moguntino; & Aschendorff in VVestphaliâ; Ascania, sub Episcopatu Halberstadensi; & oppidum Aschersleben: quæ nobis viciniora. Virile quoq; nomen Ascanij; Trojanis olim nobile, nunc quoq; mansit amabile;

Aschedorff
Aschenburg
Ascanien
Aschersleben
Aske
Ascanio.

Idem hic Ascanes à varietate Dialectorum Ascon. & præfixo Articulo Thuiscon; alijs quoq; Tuiston, audijt. Quamvis Cornel. Tacit. Tuisconem, scribat, esse Deum, à Terrâ editum. Ubi Tiu-scon, vel Tiecon, vel Tiescon, notare Pulchrum & Solem; quo in rebus visibilibus à Deo creatis, nihil pulchrius, adnotat Adr. Schrieck. libr. 3. Advers. cap. 16. vid. & Eilhard. Lubin. in Face Poëtic. Chronic. Holsat. Johan. Petersen. à princip.

Hunc ipsum Ascanem sive Thuisconem qui primus Germanorum & Sarmatarum Monarcha fuit. Anno Mundi. Leges & Statuta subditis fixisse certum est, ex M. Goldast. Haiminsfeld. Constitut. Imperial. Collectan. & tom. 3. Constitut. Imper. Quæ cum cuilibet in manu non versentur; impune spero colonium in nostram opellam migrabunt. Sunt igitur hæc sequentia:

Statuta Tuistonis.

1. *Sacerdotibus duntaxat animadvertere, vincire, verberare, permisit: non quasi in pœnam, aut Ducis jussu, sed velut Deo imperante.*

2. *Virorum fortium facta, quæ Exemplum Posteris essent, carminibus celebrare, instituit.*

3. *Lucos, & nemora, in quibus res divina perpetraretur, consecravit. Arbitrabatur; cœleste numen pro magnitudine suâ, nec parietibus cohiberi, nec in ullam humani oris, vultusq; fluxæq; rei speciem adsimilari debere: cum secretum illud ab omni contagione sæcis terrenæ solâ reverentia videatur, cuius effigiem formamq; quærere, sit imbecillitatis humanæ.*

4. *Auspiciorum sortiumq; disciplinam edocuit, ex quorum observatione Sacerdos publicè prius Deum precatus, cœlum suspiciens, futuros eventus interpretetur.*

5. *Jussit & ædificia, magis necessaria pro cœli iniuriâ vitandâ, quàm ambitiosa, exstruere: oppida condere parva; attamen munitis naturâ locis.*

6. *Qui inter suos jus dicerent, Principes regionum atq; pagorum constituit; controversiasq; minuere præcepit.*

7. *Nullum certum modum agri, aut fines proprios habere permisit: sed Magistratus ac Principes in annos singulos gentibus cognationibusq; hominum, qui unà coierunt, quantum eis, & quo loco visum erat, attribuebant, agri: atq; anno pòst aliò transire cogebant, ne latos fines parare studerent; potentioresq; humiliores possessionibus expellerent: neve accuratius ad frigora atq; æstus vitandos ædificarent: ne qua oriretur pecuniæ cupiditas: Quâ ex re factiones dissensionesq; nascerentur, ut animi æquitate plebem continerent, cum suas quisq; opes cum potentissimis æquari videret.*

8. *Victum & amictum parabilem comparari jussit; ut quæ in lacte, caseo, carne, pellibus, & parvis rhenorum tegumentis consisterent.*

9. *Adulteria præsenti pœnâ cohibuit: nullâ publicatæ pudicitiæ veniâ.*

10. *A parvulis duricia ac labori studere sobolem præcepit, ut qui diutissimè impuberes permanerent, maximam inter suos ferrent laudem. Hoc alii staturam: alii hoc vires, nervosq; confirmari putabat.*

11. *Intra annum 20. fœminæ noticiam habuisse, in turpissimis haberi jussit rebus, quò sera juvenum ætas, eoq; inexhausta pubertas foret: nec Virgines festinarentur: sed eadem juventus, similis proceritas, pares, validiq; miscerentur, ut robora parentum filij referrent.* Ex:

Ex his vigore Quintæ, Sextæ, Septimæ, & sequentium Legum, eundem Tuistona *vel* Ascanem, *ut vicinis oppidis initium & nomen dedit, ita nostræ quoq; terræ & urbis primarium & originarium Castrum fundasse, & illud haut dubiè* Mesuvium *à* Mesa, *cuius mentio fit Genes. c. 10. v. 30. vel simili nuncupatum esse statui posset, si conjecturis talibus fidendum sit, quales alij in derivatione* Magdeburgi *à Magidda seu Magdala, &c. secuti fuerunt. Quid? quod Urbis huius principem Patronum & Tutanum allegat Poëta noster Arte Marte nobilis Petrus Lotichius, ubi testatur.*

Tuiscon & Ascanes idem

Majorum tumulos, sacrasq; Tuistonis umbras.

Patronus Germaniæ.

Cornel. Tacit. de Germ. moribus. Celebrant carminibus Antiquis, quod unum est apud illos memoriæ & annalium genus, Tuistonem Deum.

Tuiston autem idem, qui & Ascenas, *ab alijs Rex Tuitsch & eius nepotum aliquis Teuto, nuncupabatur. hinc ut ab* Ascane *multa loca, sic & ab* Tuitsch *seu* Teutone *Theutisca Lingua Imper. Lothar. l. Capitular. & Teutones,* Deutschland/ Teutschland/ Teutsch am Rein/ Teutschburg *in Ducatu Clivensi, saltus Teutoburgicus, Teutoburgum in Ungariâ;* Der Teutsche Thal *inter Halam & Querfurt in Turingiâ,* Der Teutsche Boru *in Salinis Saxonicis. libr. 2.* Gülichisch Chronic. *cap. 2. Lal. Bisciol. tom. 2. Horar. Subseciv. libr. 2. cap. 10. Herman. Fabron. Moseman.* New Welthistor. *cap. 3.*

Huius Synchronos Patriarcham Regu, Serug, Nahor, Tharah, *& ipsum tandem* Abrahamum *fuisse (quem natum Anno Mundi 1948. asseverat) Juliacense Chronic. libr. 2. cap. 2. contendit: & statuit, esse mortuum, Anno mundi 1964. post adventum suum in Europam Anno 178. cum biennio ante Mannum in Imperio successorem subditis dedisset.*

Mannus *hic Alemannis, & Germanis nomen intulit; & illis hæredes è proprio suo sanguine tres reliquit; Ingevonem, Herminonem, & Istevonem. Quorum medio succes sit*

filius Marsus, qui Marsis dedit originis nomen; in quorum fundo structum Hamburgum *est; cuius princeps Gambrivius fuit; Schopper. Chorograph. confer alioqui Saxonẽ Grammat.*

Ab his igitur & horum posteris hæc loca Germaniæ primum, & sic deinceps jugibus annis, esse gubernata, aucta, & amplificata: & in ipsis Mesuvium *(fortassis à* Mæso *Ascenæ filio, de quo supra.) usque quaq; propagatum, quis dubitet? Quod autem cæterarum hac terrâ rerum gestarum narrationes nullæ supersint; nemini mirum esse possit: siquidem historici passim contestentur, nullâ cum gente tam iniquè comparatum esse, in observatione Annalium, & historiarum, quàm cum Germaniâ, & Saxoniâ. vid. Sebastian. Brand. Chronic.*

Germaniæ Civitatũ Originatio & antiquitas obscura. Castrum Magdeburg cæpit à vicinis Nohę posteris.

Initium autem primævi castri nostri derivatum iri à Noæ filijs, nemini magis videatur ineptum, quàm aliarum Germaniæ civitatum origines; imo gentium omnium consuetudinem. Semper enim in usu fuit, dum Originis suæ incunabula repeterent, ea ad autores eos, qui maximâ inter homines autoritate floruerunt, quiq; humanum genus singulari aliquo beneficio affecerunt, referrent. Epitom. General. Magni Moscov. Sic Argentoratum, *quæ &* Argentina *dicitur, ortum suum refert ad conditorem suum Trebetam, qui fuit Nini Regis in Ægypto filius; unde & Trebesburgium eadem olim dicta fuerit: quam quia Rex Attila devastaverat, & in pagum seu Viam Publicam* Ein offene Strasse *redegerat inde* Strasburg *appellata, ab Henrico 2. Imperatore reædificata fuit Anno 1004. Eundem autorem Trebetam etiam* Moguntia *ad Rhenum gloriatur quam Claudius Drusus Nero privignus Augusti ampliavit.* Colonia ad Rhenum *jactat fundatorẽ Colonem Trojanum Principem: à Marco verò Agrippa Cæsaris Augusti genero amplificata,* Agrippina *dici cæpit, in honorem Imperatoris Claudij Tiberij conjugis.* Lutetia Parisiorum *à Paride Priami filio incepta; VVencesl. Sturm. Chronic.*

Magdeburg.

Ut ut sit, Magdeburg *ante Christi nativitatem aliquot*

quot seculis fuisse Celeberrimam inde quoq; allucere possit, quod ante Christum in orbem adventum bella cum Danis, Suedis, Finnonibus, & Vandalis gessisse leguntur Saxones. Saxones *autem* veri *nullo dubitante* Magdeburgenses *habentur, & inde vocantur* Saxona Gens & nescia corda jugi *Ulric. Hutten. Panegyric. ad Albert. Cardinal. tum Æne. Sylv. in Europ. cap. 31. Ut &* Saxonicus Episcopus *pro Magdeburgensi, passim repetitur. &* Saxones Albi *tuum qui prope flumen arant. Sabin. libr. 2. Johan. Petersen. Chronic. Holsat. à princip. Hartman. Schetel. de Saxon. Magn. German. provinc. fol. 282.* Veri Saxones Magdeburgenses *nullo dubitante habentur. Bremenses quoq;, Halberstadenses, Hildesinenses, Verdenses, Brunsvicenses, Hamburgenses, Luneburgenses, Lubecenses.*

Ante Christi Nativitatē celeberrima. Magdeburgenses veri Saxones.

Qui volunt Julium Cæsarem Mezibozum *hanc exstruxisse amplius, circiter Annum ante Christi nativitatem 47. ut ei nomen* à Virgine Partheniâ *suæ Pellicis dederit: eos* Meibomius in Bardevvico *retundere conatur; quasi Cæsar Julius huc locorum nunquam per vitam suam pervenerit. Tiberio verò Imperatore Longobardos è districtu* Magdeburgo & Halberstadiensi *fuisse profligatos,* Buntingus *asserit. SED tamen Drusum Neronem, aut Filium eius Germanicum, adhuc vivo Augusto Cæsare statuam Veneris hîc collocasse, censuit idē Buntingus fol. 15. confirmare videtur huius opinionem* Luc. Annæ Florus. *lib. 1. cap. antepenult. qui prædictum Drusum Neronem in tutelam provinciarum præsidia & custodias ubiq; disposuisse per Mosam, per ALBIM, per Visurgim, attestatur. Id. libr. 4. cap. 12.*

Græca-Latina, Partheno-polis. à Partheniâ Cæsaris.

Virginum imagunculas Ethnicorum cultu venerabiles in arce Romanâ præsidiariâ ad Albim (ubi loci nunc D. Mariæ Magdalenæ clôstrum situm est.) super antiquâ illâ lateritiâ turre, quæ dicitur, hodie quoq;, Hunnorum Turris, *ad arcem alteram vetustissimam, hoc est* Turrim Burgi, *quam Drusus*

à παρθένοις Divarum ritu cultis.

Der Hünenthurn. der Burgthurm.

Drusus exstruxerat, ex consensu Historicorum palàm est, fuisse fixas & undequaq; conspicuas. Ab his nomen à Romanis Ducibus Mesuvium *acceperit, antiquato Veteri, (uti non insuetum est fieri) & si Romanis æquè, ut posteris quibusdam, Græca Linguaclarior inter alias visa fuit,* PARTHENOPE *(forsan ipsis familiari nomine) dicta sit.*

Fuit certè τῆς παρθένυ vox Romanis multùm amabilis, ideò venerabilis; & nimis usurpabilis.

Parthenia Diana.

PARTHENIAM *Divam, hoc est, Dianam à Virginitate perpetuâ & indefloratâ censitam appellari, colebant. unde Richard. Bartholin. libr. 3. Austriad.*

——————aras q; cruentas
VIRGINEÆ statuere Deæ, cui Verus in antro
Fatidico vates litat; atq; arcana sub auras
Quæ sunt, quæ fuerunt, quæ sunt ventura canebat.

Ibid. *Mittite, PARTHENIÆ quæsitum oraculaDIVÆ:*
Hæc eadem erat alibi
VIRGINIS os habitumq; gerens, & VIRGINIS Arma
Spartanæ. Virgiliano *an* Virginiano *versu?*

Parthenij.

Quæ simul Spartanis Legem sanxit, ut Virgines viriliter agerentur, & exercerentur alacriter in Musicis, cursibus, disco, jaculis palæstrâ, circis equestribus. Ubi simul adnotat Leuconoës an Leucoridos memorabilis æternùm Poëta Taubmannus, *in Laconiâ* Parthenios *fuisse nominatos, qui nati sint ex VIRGINE VEL-QUASI, hoc est, tali puellâ, cui lubitum fuerit prægnantium ritum discere, præ quam tempus aut opus est. eosdem honorabili designat nomine:* Jungfer Kindlin. *Emphaticè! vid. Æneid. & Culic. & Varronis de RE RUSTICA.* Sed hoc in Laconũ Natione. *In Arcadiâ tamen etiam, & in Saltibus* Parthenijs *Virginem Dianam cum Virginibus aseclis esse venatam, Virgilio Ecl. 10. Claudian. libr. 2. de Rapt. Proserp. Joan. Ludovic. de la Cerda monente, credas. Confer ex Probi Glos sematib. Spiegel. ad R. Bartholin. lib. 3. Austriad. illud:*

Parthe-

Parthenijs Caledonius umbris
Arduus Hippomanes sequitur, totumq; recurrit
Per nemus, ingentiq; vocat clamore sequentes.

Venerem Partheniam *alibi quoq; cultam esse, qui scripserint, invenias. An vero verum nomen Urbs Magdeburga sumserit à Venere, dubitari possit. Nam Magdeburga Virginum Civitas (ut infra leges) dicitur. Venus autem quàm malè Virgo i.e. quàm obscœna mulier fuerit, videsis Chronic. Augustan. Ecclesiast. cap. 4. Nisi scrupulum hunc* πολυσημία *vocis VIRGINIS, adimi putaveris. Nam & quæ nupta, qualis Venus Vulcano, Virgo dici solita est.*

Mare *quoq;* Parthenium *à Latinis Historicis innotuit, Ammiano Marcellin. libr. 14. libr. 22. lib. 27. &* Populus Parthenius, *qui Tarentum condidit, Anno Mundi 3490. Marian. Scoto libr. 1. Chronic. ætat. 4. Justin. lib. 3. Funccio Chronol. pag. 59. &* Homines Parthenij; *uti Victorius Pisis in lapide legit: PARTHENI HAVE! BENE HABEAS; QUI ME SALUTAS, CUM SOSIA MEA FILIA libr. 8. Epistol. Ciceron. Famil. &* Parthenium Domitiani percussorem *à militibus, ante detritis & in os conjectis ipsi genitalibus, jugulatum, Aurel. Victor. Sueton. in Adrian. Eutrop. 8. à principio. Joan. Glandorp. Onomastic. Roman. &* Poëtam Parthenium, *cum Romani Mithridatem debellarent, à Cinnâ captum, Suidas & Sueton. in Tiber. produxerunt; Parthenij Paravicini Novocomensis metrum de Friderico Barbarossâ, & Jovio eius historico, Rittershus. ad Ligurin. intimavit: &* Parthenium Philosophum *accensuerunt Herman. Contract. in Chronic. ac Regino Abbas Prumiens. libr. 1. Chronic. &* Parthenianum Historicum *Vulcan. Gallican. in Avidio Crasso: & Jureconsultorum* Parthenium Litigiosum *Ventura de Valentijs, hoc est, Valentinus VVinter Consil. Pomeran. Com. Palat. prodegit in theatrum, Goldast.*

Sed ut ad PARTHENOPEN nostram è diverticulo

revertar.

revertar: Oppidum eiusdem nominis habuerunt in Latio, quod ab Augusto Cæsare Neapolim esse vocatum, docent Solinus, & Agapitus Portius; quem vid. in Philol. Centur. Goldast. Epist. 16. Ptolom. Flav. Conjectur. cap. 32. Paul. Merul. part. 2. Cosmograph. lib. 4. cap. 25. ut & Richard. Bartholin. lib. 10. Austriad. in princip.

Nam quot Tarpeiâ vidi de rupe triumphis
Parthenopem egregiam.

Hac de PARTHENOPE *memorabile quicquam legitur apud Scoppam libr. 1. Collectan. cap. 30. Nimirum Regnum hîc obtinuisse post Æneam Parchinum, eundem cum antecessore Trojanum. Verùm qui, cum eius Latini nimis quàm pertæsi essent, eos non tributis tantùm sed flagellis quoq; contriverit; & nihil nisi sanguinem ipsorum spiraverit ac sitiverit, intra mœnia* Parthenopeia, *quæ allegat Ovid. libr. 14. Metamorph. Edixit enim diem (ut virulentiam suam forte an patefaceret) ad quem centum quinquaginta quinq; selectissimos Latinorum Nobiles, quasi ad Natalitij sui festivitatem invitatos, pecudum ritu jugulari cruentissimè destinaverat. Quod sanguinarium facinus, ubi Latini præsensissent; defectione communi Tyrannum eluserunt. Qui cum illos dolo funestare non poterat, apertâ vi perdere properat: sed Latio bella movens; superatur in prælio, ut vix exiguo cum comitatu prolabatur Neapolim; ubi suas inæstimabiles opes undiquaq; convexerat: ibidem à Liguribus & Latinis obsessus, illarum partem dimidiam per loca certa dispersa diversa fecit abstrusam recondi: cæteram thesauri partem asportavit ex Urbe ad Penitralia Capitis montis ad Civitatem Nazareth, quæ Neapoli versus Austrum sita erat: hic istam occuluit. Latini verò cum Tyrannum suum cæpissent, continuò perimi curaverunt; spe fretis, futurum ut regali thesauro sarcirent suas jacturas. Verùm. quem quærebant, nusquam inveniebant, sic opinione suâ decepti, Civitatem vocaverunt* Parthenopes, *quasi* Parthe-

thenæ opes, *seu partæne (non) opes: quam nuncupationem, duraſſe, dum Longobardi eam deſtruxerint, & Græci novam Civitatem quam dixêre* Parthenopolim, *reſtruxerint, idem, quem dixi, probat: Quâde re, vide quæ plura cenſeas. Hæc certè* PARTHENOPE *nobilitata fuit alumno Virgilio Marone Mantuano; qui ſuum ibi quoq; ſepulchrum habuit, ut ajunt. Ipſe quidem, inquit, libr. 4. Georgicor.*

Illo VIRGILIUM *me tempore* DULCIS *alebat*
PARTHENOPE. *cui Sirenum dedit una ſuum, & memorabile, Nomen. autore Sil. Ital. libr. 1. & 5. & 12. Et ipſe Poëta Virgilius inde* Parthenopæus, & Pathenopeius Vates, & Parthenias *(forſan etiam ab inſigni modeſtiâ, verecundiſq; moribus) quaſi Poëta pudentiſſimus, ad placitum Scaligeri, & quia Virgineum Vatem Urbs Virginea nutricrat. Auſon. Epiſtol. ad Paulin. Ludovic. de la Cerd. d. l. Virgilij. Inſuper* URBANUM *Papam hac urbe natum fuiſſe teſtari videtur in Epitaphio Gobelin. Perſona Coſmodrom. ætat. 6. cap. 82. quod ſic lege, ſis:*

BARTHOLOMÆUS *nomine; natu* PARTHENOPÆUS;
SEXTUS, *& invictus* URBANUS, *Papa relictus*
Huic humili tumbæ. Qui dum pugnare columbæ
Pennas rebatur heu mox formoſa jugatur.
Unde metus cura prohibet me dicere plura,
Multa, per adverſa vidi quæ mente repreſſa!
Credidit ingq; Deum, geſtans animum Machabæum;
Me miſeret quare, ſic ipſius oſſa cubare:
Forſitan inculta ſua ſic ſunt oſſa ſepulta,
Donec ut in vitâ fiant ſignis redimita.

Ad differentiam Latialis *huius* Parthenopes, *noſtra dici ſolet apud nonnullos Hiſtoricos* Parthenope-Saxoniæ; *ſeu* Parthenope, quæ Magdeburgum *dicitur; ſeu* Parthenope Germaniæ Civitas. *graphicè! Simon Stenius in Elector. Mauric. inſignit.* Παρθενόπολιν ἐν τῇ σαξονίᾳ

Nostra verò PARTHENOPE *dici cœpit nomine bono, sed nec vano, nec profano omine: quia per Dei præpotentis Gratiam & Tutelam hactenus est verè παρθενευομένη, h.e. Religionis & Justiciæ pura, nunquam defl orata Virgo;* (Xiphilin) *in quâ παρθενὼν, hoc est, templum illibatæ Veritatis custoditur; Herodian. libr. 5. Zosim. libr. 4. confer. Matthi. Quad.* Teutscher Nation Herrligkeit. *cap. 61. Huc refero Sabin. lib. 2. Urbs ubi* Parthenope *sublimibus ardua muris, surgit, & æquoreis pulsa feritur aquis: Schosser. in Daphnid. ubi*

Parthenopen, & culti Saxonis *agros*
Humectat Pater Albis, & *amplas alluit urbes.*

Guicciardin. libr. 2. Commentar. de reb. memorab. Europ. Parthenope *magnam laudem sibi & universæ Germaniæ gratiam tueri fecit, ob id, quod soli omnium Teutonum cum tanto Heroe, & tot antlatis victorijs superbo Imperatore contenderint.* Idem. *Utcunq; sit, quires ab Imperatore gestas excusserit, tanquam in speculo manifestè videbit, eius fortunã cum usq; cõstetisset ad* PARTHENOPEN *istam Albensem, cœpisse titubare.*

Gobelin. Persona. ætat. 6. Cosmodrom. cap. 48. exsertim ait: OTTO, *ad Instantiam Edgith Uxoris suæ Civitatem* Magdeburgensem *condidit. Quam postea* quidam curiosi Parthenopolim *nominabant, quod sonat* Virginis Civitas; *quoniam* Magdeburg Virginum Castrum *vulgò sonat. Unde antiqui hoc perfectius exprimentes, adhuc dicunt* Megedeburgen. *Et in quibusdam Chronicis Parthenopolis nominatur, & in quadam summâ super Decretum, etiam* Magdeburgensis Parthenopolitana *dicitur in c. Quidam. XCVI. Et quidam eam sic appellare volebant, fortè moti sunt nomine cuiusdam Civitatis* PARTHENOPOLIS *dictæ: de quâ legitur in Historiâ Romanâ, quod L. Lucullus eam evertit, Anno Urbis Romæ conditæ. DC. LXXXI. & erat Civitas Ponti provinciæ; & dicitur* Parthenopolis, *à παρθένος, quod est Virgo;*

&

& πόλις, hoc est, Civitas. Unde & Neapolis olim dicebatur Parthenopè, à quâdam Virgine. vid. Eutrop. libr. 6. Jornand. libr. 1. de Regnor. & tempor. succes. f.

Funccius tamen disertè dicit: Primævo quidem nomine Parthenopolis dicitur. Chronol. de Anno Christi 781. & Chronic. Minden. Parthenopolis, quæ est Magdeburg. idem. Per idem tempus, Parthenopolis Civitas, quæ nunc est Magdeburg, fundatur. Jacob. Gordon. Lesmor. Oper. Chronol. tom. 2. Parthenopolis (nunc Magdeburgum) aucta & munita est. Simon Stenius in Mauric. Elector. Vit. παρθενόπολιν ἐν τῃ Σαξονίᾳ. Sigebert. Gemblacens. Chronog. Rex Otto construit Urbem Magdeburg, quæ & Parthenopolis dicitur. Francisc. Modius tom. 2. Pandect. Triumphal. libr. 1. de Hastilud. ad Magdeburgum Urbem, seu Parthenopolim patentes campi. ibid. HENRICUS Auceps vocat Parthenopolim SUAM. &c. Parthenopen ab Ottone 1. Cæsare primum appellatam è Sim. Schard. Syllog. histor. polit. Eccles. pag. 278. &c. legens, ubi memorat: Otto Primus, Augustus Magnus, filius Henrici Primi, Regis inclyti in Novâ Saxoniâ condidit insignem & valdè potentem Civitatem Magdeburgensem, quam Parthenopen appellavit.

Quidam scribunt Parthenopyrgos, merâ Græcâ voce. Nec iniquè. Nam talis erat. VIRGINUM quidem, propter institutas ad cultum Divas. πυργὸς autem, à primo conditu: & deincipe firmiore valentiorique successu. Cum πυργὸς non tam Turrim aliquam solùm, quàm locum aliquem insignitè munitum, vel Arcem συνεκδοχικῶς significari cœpit, & ex Græco πυργῷ; levi mutatione asperæ in lenem, ut omittatur finalis vocalis inde Burg/quod est Vestung/proliceretur. Castellum enim seu præsidium ad Albim à Druso conditum hîc fuerat. vid. Pontan. Not. ad Cantacuzen. Et quod Germanis Burg; id Hispanorum priscâ linguâ significare Castellum vel Oppidum, Thracibus Briam; Augusto brigam Ludovic. No-

nio Hiſpan. c. 55. eid. c. 17. Lacobrigam cap. 54. 79. Flaviobrigam, cap. 63. Talabrigam; Brigum, Brigantum, Bartobrigam, quæ nunc Ratisbona; vide & lege Hieron. Henning. tom. 4. Genealog. part. poſtrem. pag. 5.

3. Latinis: Virginopolis.

In Latino ſermone, VIRGINIS ARCES Aſſyriæ (Babylon) Semiramidis, apud Iſcan. de Bello Troian. & eius nuperum commentatorem Samuel. Dreſem. pag. 24. excellunt; ne de totâ Patriciorum & Conſulariũ VIRGINIA Gente apud Romanos olim florente dicam; quam reperis apud Glandorp. in Onomaſtic. Roman. & Virgineam Mauruſiam, Virgineam Roboream in Genealog. Hieron. Henning. Lunæburgenſis noſtri, neq; referam huc VIRGINIAM, Amplisſimam Americæ regionem, quæ cunctam Indiæ maritimam oram complecti ſcribitur; quam Angli primùm omnium aperuerint, provinciam cœlo clementi, ſolo uberi, fluvijs irriguo: quò voluntate Regis Britannici coloniam deduxerunt, propugnaculum ad fluvij ripam opere manuum munientes: ubi per montes multum cryſtalli reperiri teſtantur. Bulenger. libr. 72. hiſtor. & Heróologia Anglica. Iſtis, & alijs, inquam, omiſſis; nobis verâ laude prædicet VIRGINOPOLIM noſtrã Æne. Sylvius. in de Morib. Germanor. & noſtram VIRGINIS URBEM. Gunther. in Ligurin. libr. 1. v. 555. Cuius verſus continuos propter Hiſtoriolam adſcribo:

Huc quoq; VIRGINEA, modò dicere faſit, ab URBE
(Nam neq; barbaricum (a) recipit mea pagina nomen,
Nec melius dici ſine nomine poſſe videtur)
Electo partes Gemino de Præſule litem
Pertulerant: quas dum placidè componere Rector,
Et revocare diu fruſtra ſtuduiſſet in Unum;
Tandem exſufflato, qui poſcebatur, utroq;,
Tertius invitis datus eſt à principe PASTOR.
Hoc etenim ſibi jus collatum à Præſule ſummo
Rege ſub Henrico teſtatur Curia Quinto.

(a) Partheno-polis.

Ut,

Ut, si fortè novo certat de Præsule sedes,
Nec valet impositò sortiri sine querela,
Debeat ipse suas mox interponere partes;
Arbitrioq; suo PASTOREM *ponere* SEDI,
Nec prius Electum quenquam de jure sacrandum,
Quam SCEPTRO PRINCEPS *Regalia præstet Eburno.*

Idem Gunther. *libr. 6. de Polono qui Friderico Barbarossæ*

——————Virgineam *se præsentabat in* Urbem.

Sic Sigebert. Gemblac. dicitur VIRGINUM *Civitas; & in Chronic. Citizens. Paulo Langio, Adelbertus, primus Virginopolitanus. Æne. Silv. in de morib. German.* VIRGINOPOLIS *inter Saxones opibus & autoritate memorabilis.* VIRGINOPOLIS *magna & insignis. Spiegel. ad Ligurin. Gunther.* VIRGINEA URBE Magdeburgum *signat; matricem Saxonum Urbem, jam olim & opibus & autoritate insignem. Generosa* VIRAGO, *Petr. Lindeberg. Teutonicas urbes inter clarissima Virgo, Erasm. Albero. Pertinent huc celebria illustrium Virorum elogia; quibus invicem eos certasse, cum de Nostræ Civitatis per obsidionem Constantiâ percrebuisset, compertum est: Sunt autem*

1. Joannis Sturmij Rectoris & Oratoris Argentoratensis:

Pædopolis fueram; cognomine dicta Puellæ;
Propter facta Virûm; nominor ANDROPOLIS.
Forma Puellaris fuerat; nunc Forma Virilis.
Salva Pudicitia est, nominor ANDROPOLIS.

Unde & ἀνδρειόπολις, ἀντιανειρόπολις, γενναιόπολις; quasi Viraginopolis. *nam* Ανδρεῖα *&* γεννᾶια Viraginem *seu* Viraciam *notat. Glossar. Latino-Græc. Lexic. & Bonaventur. Vulcan. ibid.*

2. Sapidus subjecit:

Ante quidem bellum, in bello, post denig; bellum;
Est mihi servatus VIRGINITATIS *Honos.*

Sed

Sed quoniam jam ſum tot millia paſſa Virorum;
Dic mihi, quo potui VIRGO manere modo?

3. R. Gualtherus reſpondit:

Non ego paſſa Viros, quamvis ſim paſſa Virorum
Probra, manus, gladios, vulnera, flagra, dolos.
Nam neq; me blandis promiſſis fœdus amator,
Nec gravibus potuit vincere corda minis.
Ut veterem vellem maleſida negare maritum
Quem mihi ſalvifico ſanguine junxit Amor.
Hinc Mea Virginitas per mille pericula ſalva eſt;
Illi debetur gloria, laus, & honor.

4. Eiuſdem.

Non mea Victrices jactat Germania dextras;
Indigna à duris nomen habere Viris.
Hos tibi præripuit titulos animoſa puella,
Quæ ſola eſt tanto nomine digna frui.
Illa peregrinum & vicinum pertulit Hoſtem
Prog, ſuo ſponſo mille pericla tulit.
Hoc faciunt, Patriæ qui Relligionis amantes,
Et qui ſunt Chriſti Relligione graves.
Sic etiam Patriæ, ſic Libertatis honorem
Sic etiam Chriſti dogmata ſancta tenent.

S. C. S. C.

Quod ſteterim Virgo tot millia paſſa Virorum,
Effecit CHRISTUS Virgine natus Homo.
Quodq; Viro digna eſt ſpecies, & gloria tanta
Non mea, ſed ſummi facta dedere Dei.
Sic qui ſancta Patris ſervarint juſſa potentis,
Non metuent fraudes, ullaq; nec arma Virûm.

Addo his alia ſub finem.

6. Joan. Stigel.

At Tu, cui purâ fecit de Virgine nomen,
Virgineâ Virtus ſimplicitate potens.

Sic

Sic age perge Deo inviſos arcere Tyrannos
Et Chriſti purâ mente tuere Decus.
Jam feret ætatem Tibi gloria vera conoram
Ante homines Virgo ſtabis & ante Deum.

Hoc eſt:

Virgineæ Victrix *ſociabere læta* Coronæ. *Alcim. Avit. ad Fuſcin. Imò ſit* URBS *hæc* VIRGO; *παρθένε, inquam, ἴυγε, Veritatis, Pacis & Salutis! ſit hæc* URBS, *ubi opus fuerit,*

——medijs in millibus ardens
Bellatrix, audensq; Viris concurrere VIRGO! *Virgil. 1. Æn.* Zonam Virginalis *ſuæ modeſtiæ, fortitudinis, Iuſticiæ, Religionis, Virtutum omnium, & Beatitudinis nullius* Virginenſis *profanæ, væſanæ gratiâ, ſolutum eat; nec à cæleſti ſuo Sponſo patiatur unquam divortium. Abſit ab Hac Urbe-Virgine triſte & abominoſum illud* CALVI *de Ione.*

Ah VIRGO *Infelix; Herbis paſceris amaris!*
Abſit, inquam! &, ut abeſſe poſſit, ô Tu VIRGO URBS,

Μήτε γαμοκλοπέειν, μὴ ἀσελγέα κύπριν ὀρίνειν,
Μήτε δόλως ῥάπτειν, μηθ' ἅιματι χεῖρα μιάνειν,
Μὴ πλαγτεῖν ἀδίκως, ἀλλ' ἐξ ὁσίων βιοτεύειν.
ἀρκεῖδς παρεῦσι, καὶ ἀλλοτρίων ἀπέχεδς.
ψεύδεα μὴ βάζειν, τὰ δ' ἐτήτυμα πάντ' ἀγορέυειν,
Πρῶτα θεὸν τίμα, μετέπειτα δὲ σεῖο γονῆας.
Πᾶσι δίκαια νέμειν, μηδὲ κρίσιν ἐς χάριν ἕλκειν.
Μὴ ῥίψης πενίην, ἀδίκως μὴ κρῖνε πρόσωπον,
ἤν σύ κακῶς δικάσῃς, σὲ θεὸς μετέπειτα δικάσσειν.
Μαρτυρίην ψευδῆ φεύγειν, τὰ δίκαι' ἀγορεύειν.
Παρθενίην τηρεῖν, πίστιν δ' ἐν πᾶσι φυλάσσειν, &c.

hoc eſt:

VIRGINIS hæc ARX eſt. Caſtæ ergo VIRGINIS inſtar
Vivito in hac quisquis VIRGINIS ARCE ſedes.

D. Herlic

hoc est:

Nubere clam noli. Veneris nec fœnora turpis
Quære. Dolosq; cave. nec pollue sanguine dextras.
Artibus haut ditesce malis. Sed vive decenter.
Præsenti contenta: alienis abstine. & horre
Falsa loqui. Solers sermones dissere veros.
Præ cunctis venerare Deum; fidosq; Parentes.
Omnibus attribuens æquum. Ne munera Juris
Corrumpant trutinam: nec egenos opprime. nullam
Respice personam veniarum larga malarum.
Judicium quodcunq; feres, Deus ipse vicissim
De Te, deq; Tuis censuram pandet eandem.
Ne mendax testis sias, verumq;, bonumq;
Imâ ex mente palam dic. Virginitatis honorem
Custodi, in cunctisq; fidem servare, memento.

D. Bernhard.

Et quidni facias Hæc? ô SAXONICA VIRGO?
Sunt Tibi lilia pura cubilia VIRGINITATIS
Est Rosa Sanguine; Purpura lumine Sobrietatis.
Teq; PATRUM CHORUS *ornat. amat Torus immaculatus.*
Sacraq; Victima, sacraq; lacryma, pœnareatus.
REX *Tibi præsidet, & Tua possidet atria* MAGNUS:
Qui PATRIS *unicus est* LEO *Mysticus, & tamen* AGNUS.
REX *Tibi Filius unicus illius ille* MARIÆ
Stirps sacra Virginis; *auctor Originis, Osq; Sophiæ,*
Hic sapientia, Linguaq; Patria, Patria Dextra,
Continet Arbiter Omnia sub, super, intus, & extra.
Tuq; adeò VIRGO-URBS, *fac, sit sine Parthenopipis?*

Bernhar. de contemt. mund. libr. 3.

Rex sate VIRGINE: *fer Cruce, sanguine, Morte redemptos.*
Respice, respice, nos Patris Unice, Virgine nate;
Da mala plangere; da bona sumere; da Tua, da Te,
Aurea tempora, primaq; robora, redde rogamus,
Nos modò dirige, postmodo collige, ne pereamus,

παρθε-

Παρθενικὴν τε φύλασσε πολυκλείστοις παλάμῃσιν, ne cogamur unquam audire: quod de Cassandrâ Tryphiodorus in Ilij excidio cecinit; λίπεεν δὲ παρθένον αἰδώς. Phocyl.

Venio nunc ad idioma patrium, quod & vetustissimum esse contra Funccium & paucos alios constare potest, ex Historijs Germanicis. Exsertim apud Adelar. Erich. Juliacens. Chronic. libr. 3. ubi legitur: Carolus Magnus hat die Stadt Mezibozum wieder / nach jhrem alten Namen / Magdeburg zu nennen verordnet / vnd den Sachsen ein eigen Landrecht gegeben. 4. Maggeburgk.

Magdeburgum *tamen etiam fuerit, dici cœpta sub Ottone, testimonio Sigebert. Gemblacens. Chronograph. Rex Otto construit* Urbem Magdeburg, *quæ &* Parthenopolis, *id est,* Virginum Civitas *dicitur. quibus ex tibijs flare quoq; videtur Mindense Chronicon; quod habet: Per idem tempus* Parthenopolis *Civitas,* quæ nunc est Magdeburg, *fundatur; versus:*

Dum nongentenus ter denus ducitur annus,
Exstitit à Christo tunc Rex Magnus Pius Otto,
Magdeburg *anno fuit huius structa secundo.*

His tamen haut respondet Adelarius Erich ante citatus. Magdeburch *autem legis in antiquis apud Goldast. tom. 3. Constitut. Imperial. pag. 130.* Magdenburg *tom. 1. pag. 138. &* Magdenburgum *passim apud alios etiam, &* Magdeburgum *Goldast. tom. 2. pag. 343. &* Magdburga. *tom. 2. pag. 172.* Magdaburg *verò M. Adam. histor. Ecclesiastic. Hamburg. libr. 1. cap. 67. libr. 2. cap. 32. Apud* Magdaburg *defuncto Adalberto Pontifice, Giselarius successit, & ipse vir sanctus, qui Vinulorum novellos populos, doctrinâ & virtutibus illustravit. Cui Daganus successit. libr. 1. cap. 2. Albis apud* Magdaburg *in se recipit*

Sulam fluvium, nec longè ab Hammaburg iſte Albia mergitur in Oceanum. libr. 22. cap. 57. Scholas Eccleſiæ florentiſſimo ſtudio rexit Tiadhelmus qui fuerat magni Ottrici Magdaburg *diſcipulus. Ipſo tempore Magnus Otto inclytam Urbem* Magdaburg *ſuper ripas Albiæ fluminis condidit.*

Magadaburg *à Cæſare Ottone Secundo, Raſſo, in Conſtitutionib. apud Goldaſt. tom. 3. pag. 310.* Magadeburg *Carolo Magno in Capitularib. pag. 156. apud Goldaſt.* Magideburg *in Decretis Comitiorum Quedelnburgenſium de Anno M. LXXXV. Goldaſt. Collect. Conſtitut. pag. 244. ita Barthold. Presbyter. Conſtantiens. de Anno M. LXXVIII. occubuit ex parte Rudolfi, VVecel. venerabilis* Magideburgenſis *Epiſcopus. Idem. Anno M. LXXXV. interfuit Quintilineburgenſi Synodo venerabilis Hartungus* Magideburgenſis *Archiepiſcopatus. & Herman. Contract. Complemēt. Anno Chriſt. 1063. Engilhardus Epiſcopus de* Magdiburg *Obijt.* Magedeburg *Conrad. 2. Salici* Imperat. *de pace mercatorum. Goldaſt. tom. 3. pag. 312.*

Conjectanea de Vocis origine Magdeburg.

Harum appellationum originem quærunt quidam à Magadal; *quidam à* Magadis. Magadæ *verò fuêre tripodes, quibus innixæ menſæ. Spiegel. ad Richard. Bartholin. libr. 3. Auſtriad. quidam à* Magidâ, *derivare poſſint, quod eſt magnũ vas eſcarum; quod à* mage *ſeu* magis, *hoc eſt, plus capiendo dici, ſeu propter magnitudinem appellare poſſit: ſic* patina, *quæ* patet, *nominari creditur. Talia verò vaſa ſolent in* Virginum *(à qualibus Urbs nomen habere cenſetur) nuptijs inferri. Stuckius Convival. Antiquitat. libr. 3. cap. 2.*

Maydeburg. *Goldaſt. tom. 3. Conſtitut. Imper. pag. 304.* Maydenburg *&* Maydemburg *Collect. Inſtitut. pag. 244.* Meyddeburg *tom. 3. pag. 428. Hinc corruptum à vicinis nomen* Meideburch/Magdburg, *quo alludit* Moidburg *ex Græco* δμωϊδοπύεγω *Capnionis & Melanchthonis,* Meydburgum *Franciſc. Mod. tom. 2. libr. 1. de Haſtilud. p. 10.* Meideburg, *Meiden-*

denburg, & Meidenberg *Pirckheimer. in tabul. German.* Meiborg. *quibus quasi consonat* Maidenhaide, *eminens & elegans Urbs Angliæ; de quâ* Badenfahrt *Friderici* Herzog. Wirtemberg.

Megedburg, *Megidburg. Megdburg, Megedeburg. Spiegel. ad Gunther. Ligurin. Primitus, teste Crantzio, loco nomen* Megedeburg *inditum, ab idolo Veneris, cuius simulachrum ipse cap. 12. secundi Rer. Saxonicar. pulchrè depingit, explicatq; : Eversumq;, ait, per Divum Carolum.*

Harum vocum quasdam traducunt quidam ab Hebræo Meged. & Megiddo, *de quo Josuæ. 12. Quæ tamen ratio planè similis est illorum, qui dicerent,* Eglensem *in viciniâ præfecturam ab* Egla *Davidis uxore dici 2. Sam. 3. v. 5. vel ab* Eglon *Urbe, cuius appellatio vitulum significabat. Iosuæ. 10. v. 24. 25. 26. vel demum ab* Eglen, *ventrioso & ab Dominis eximij Rege Moabitarum &c. quem interfecit Ehud. Judic. 3. v. 22. Quorum, ut aliorum, in hac re, torsiones allegat, & insuper meritò habet noster p. m. Johannes Pomarius in Chronic. Saxonic. cuius honoratissimas Operas industriosissimè continuatas ac in hunc Annum ditatas, anxiè desideramus ab Autoris Germano laudatissimo Viro,* Dn. ELIA POMARIO, *hodienum Venerandi Ministerij Magdeburgici Con-Seniore, Domino & Fautore nostro singulariter honorando; cuius nuper Septuagesimum Natalem his qualibuscunq; metrillis adoravi:*

Dn. Elias Pomarius.

Illa dies, Vitæ quæ Te promovit in auras,
Sancte Senex, Votis porro iterande meis;
Haut-dubie puris PATRI *gratantibus astris*
Splenduit, & solido lutidus axe fuit.
Lucidus ille fuit. Spexit Te Nox pia nasci?
Candidior medio Nox fuit ista die.

Vivida lux fuit, ad ſacras quæ te ſtitit undas;
Fecit & ad Chriſti ſtare miniſterium.
Feſtior orta fuit, eum jus Claveſq; profundi
Ætheris obmiſit PETRUS *ab axe tibi.*
Inde domum ductâ tibi poſtea Conjuge fidâ,
Lætiçijs fuerit plenior Aura tuis.
Majus opus voveo. Decadum nunc Heptada vixtis
Salvus & incolumis per pia vota reor.
Hocq; die memorem bona ſeu mala ducis ad unguem,
Et narras digitis millia multa tuis.
Forma, vigorq; animi, victus, & amictus, honoris
Munera ſunt ævi divitiora tui.
Nactus es & paribus Gnatum tibi moribus, illum
Quem vovit ſummos Phœbus adire tholos.
Fama tibi clara eſt, ſemper ſine crimine vixti;
Et laudem de te nullius oſor habet.
Conſilium, prudensq; animi ſententia, durat:
Et tua judiçij pondera dia geris.
Ingenium cœleſte novis felicius annis
Effers. Vivacem ſorsq; Deusq; juvant.
Scilicet hiſtoriam gnarus multiplicis ævi,
Poſſis Pandectis reddere ut acta tuis.
Vita Viros provecta decet, quicunq; laborant
Famam Parthenopæ perpetuare meæ.
Eſt aliquid, tantos Pomaria vivere in annos;
Unde legat fructus Parthenopea ſuos.
Tolle moras; ô tolle moras! Non alter ab annis
Tam ſeris dives quilibet eſſe poteſt.
Tolle moras; ô tolle moras; non artibus alter
Tam multis dives quilibet eſſe poteſt.
Quantarum ex merito te vivere ſæpe voveudum eſt,
Quantarum merito vivere te voveo;

Quû

Qui mihi si facilis carmen cultura negavit,
Ingenij votis damna rependo meis.
Ut tibi Sol clarus sit, & ut tibi lucida Phœbe;
Nec fallant oculos sidera clara tuos.
Et corpus, querulo, mens & vacet ægra dolore,
Nox q; die melior, sit tibi nocte dies.
Hæc Tibi; quamprimum cœlo nitidissimus alto
Lucifer emisso tempora vexit equo;
Historate Patriæ præclarâ voce salutans,
Postea ut Officijs Ara sit apta tuis.
Cuius ubi impleris decus, ut mors finiat horam;
En Tibi JOVA tuum jam parat ipse locum.
Non aliâ tamen alma fide, nisi debita solvas
Historiæ, missum Patria Te faciet.
Supplicat illa Deo. Deus ipse favebit, id opto;
Ut tali salvum Te velet esse Fide.
Apprecor ipse pius Cultor Tuus, Astraq; pulso:
Effectu careat spes mea nequa bono.
Opto, quod optandum est. Deus addat plura rogato!
Et mea multiplicet Vota favore suo!

E diverticulo redeo Magdeburgum. *quæ fertur &* Madburg, *&* Madeburg, *&* Madiburg, *&* Madeburgum, *quæ se effundunt à* Madon. *de quo Josu. 12. v. 20. à* Madmana. *posterioribus rejectis syllabis. cui* Madibah *vocem habet unanimem, quæ villa erat in Geltersheimero marcu & in Hengisstesdorfero marcu; cuius fit mentio in Antiquitatib. Fuldens. libr. 1. Conrad. Celtes Albim nostrum celebrans libr. 4. Amor. Eleg. 3.*

Eius & ad ripas Magdeburgum *nobile splendet,*
De septem sacris sedibus una nitens.
Condidit hanc Cæsar, primus qui dicitur Oddo.
Oddo Saxonicæ gloria summa plagæ.

Med-

Medburg & Medeburg à Medemena & Medba dici possit. Esai. 16. v. 2. Et si talibus conjecturis standum est, à Medone, genere Potionis nationi vicinæ Bohemicæ, & Pannonibus nostris olim affinibus incocto, dulciq; melle permixto: quasi sit Magdeburg illa Civitas, ubi

——— multoq; Viri, innuptæq; puellæ
Undiq; spumantes turmis crateras Jaccho
Cæsareis fructum Cereris, Zythumq; propinant,
Grandiaq; epotant melliti pocula Medi. quod absit!

Medemena quidem Josuæ. 15. v. 19. Esai. 10. v. 30. nimis adversum omen infert, culpæ & pœnæ Jerem. 48. v. 2. quæ nobis utinam & nostris æternùm longinquè abesse possint. Medebach quod est oppidum VVestphaliæ meminit quidem Gobelin. Person. ætat. 6. Cosmodrom. cap. 60. hisce ferè congruit MedVVisch & Medlingen Urbs à Turcis superata Christianis nimis cruentè tractatis & mactatis ab hostibus. de quibus Hieron. Ortel. Chronic. Ungaric. part. 3.

Magdburg ab Herodoti Magdalo ducunt: cur non à Magdala simili conjectore? Posterior enim vox Turrim significat: & Urbeculam eis mare Galilæum, unde Maria Magdalena, speculum illud Pœnitentiæ, fuit; Chytr. & Bunting. Itinerar. Nov. Testament, pag. 22. de quâ & Christophor. Furer. ab Haimendorf. Itinerar. Ægypt. pag. 98. sic refert: Quarto Martij montem quendam conscendimus, in quo ad dexteram in adjacente valle, juxta mare, pagum quendam, multis palmis consitum, vidimus: Quo loco olim Urbs Bethsaida, Petri, Andreæ, & Philippi Apostolorum Patria fuit: Haut longo inde intervallo pagus est exiguus; ubi olim Magdala fuit, loco satis amœno & frugifero, unde Maria illa Magdalena (cuius honori Claustrum quoq; Magdeburgi fuit olim primarium) oriunda; ad differentiam aliarum Mariarum, nomen accepit. Sed enim; si omnia sint accisè-nimis hîc acquirenda; cur non Græcorum μαγδαλία quoq; posset arcessi

arcessi, quæ panis frustum notat; ad quod adipe manibus absterso, quoq; canes lingunt. Stuckius libr. 2. Antiqu. Convival. cap. 5. sed quid hoc ad Rhombum? ais. Ego ajo: quid alia multa Monachis inertibus excogitata? Ea tamen nostri soli (per Clementissimam Dei gratiam) benignitas, & fortasse pinguedo fuerit, ut tali loco contraponi potuerit. Frequens & istud est huius rei Etymologis scriptoribus, trahere videlicet Magedburgum *à* Mageddo, *quæ posteris seculis vocata Maximianopolis; ubi Josias filius Amon à Nechaone Ægyptiorum Rege interfectus. Herman. Contract. in Chron. sic à* Mageddo *facilimum sit* Maged-burg: *& leviculâ metathesi* Magdeburg. Mageddonis *autem etiam idem Christoph. Furer. Haimendorf. Itinerar. pag. 94. his verbis, meminit. III. Martij per per campum* Mageddonis; *qui aliàs campus Magnus Esdrelonis, item Galilææ planicies vocatur ad montem Hermonem, iter fecimus, ubi de longinquo Mons Thabor conspicitur. Meminit insuper & Hieron. Cardan.* Magduni, *id est, oppiduli; quod non ita procul ab Aureliâ situm, videte & horrendam historiam eius loci apud Joan. VVolff. tom. 2. Lection. memorabil. centenar. 16. pag. 508.*

Sed hæ tralationes hactenus magis conjectæ, & ingeniorũ industriâ confectæ, an detortæ potius, quàm veræ fuerunt. Nec tamen aspernandæ. Nam nulli absurdum videri debet, si quis radices, sive principia Vocabulorum altius à Græcis, vel Hebræis conquirat. Nam hoc continet multam eruditionẽ. *Valentin. Guilielm. Forster. de Dominio. cap. 1. Jam superiores si cumulandæ sunt insuper Auctario novitio; possimus illorum insistere vestigia, qui lusui huic ingeniorum operam dederunt. Nam si* Magdburg *ex illo Iosuæ cap. 12. v. 22. rivant, cur non abutuntur eodem judicio & textu eiusdem capitis vers. 5. Nimirum, & en ecce! si vocem* Maachathi *licentiosè συγκόψω, facilimè conficiam inde* Maachtiburg, *& vicissim*

Machtburg.

novò expunctu Machtburg. *Syncopationes autem & Abbreviationes litterarum & syllabarum multæ sunt in vulgari, propter quas origo dictionum non advertitur, nec intellectus earum primitivus habetur. Nihil tamen his frequentius perspexeris. vid. Gobelin. Person. Cosmodr. ætat. 6. cap. 38. Esset vero* Machtburg, *ubi sub Heinrico Aucupe Imperator. totavis Imperij Germanici, Principum, Comitum, Nobilium & Procerum Optimates ludos Triumphales viriliter exercuerunt; quâ de re legendum est Fr. Modij Pandectas Triumphales. Quæ quia cuivis non in promptu sunt; paucula derivabo, spero cum veniâ. Sic autem ille scribit tom. 2. libr. 1. de Hastilud. Cum Heinricus 1. Auceps imperio potitus, provincias multas, quas Carolus Magnus imperio subjecisset, ab eodem imperio, aut prorsus alienatas, & aversas: aut certè Hunnis tributarias factas, indignum esse existimaret; etiam illis obnoxijs, quibus hæreditario jure præerat, ac nominatim Saxoniâ utrâq; Ducatibusq;, Brandeburgensi, Stetinensi, Pomeraniæ, Megaloburgensium, Vinidarum atq; Rugiæ, quitum alijs atq; alijs nominibus nuncupabantur: ne tantam injuriam in se acciperet, laudatissimus Princeps Anno salutis humanæ Io. CCCC. XXXV. ad omnes Imperij Ordines, & Imperio subjectos, aut confœderatos, litteras & mandata dedit; gravi pœnâ in eos pronunciata & constituta, qui aliter fecissent, ne cui deinceps tributa solverent. Quod cum in contemptum sui factum violentissimè interpretarentur Hunni, qui jam paulatim in Hungarorum nomen concedebant, adjunctis sibi Tartaris & Russorum ingentibus copijs in Obotritarum, Vinidarum, Saxonum, Brandenburgensium, Thuringorumq; agrum excursione facta, brevi eos subegere; impositis, ubi ita è re videretur, præsidijs; actisq; etiam ex vicinis regionibus, prædis, & multis millibus hominum contrucidatis. Donec commotus talibus & tam enormibus damnis, ut par erat, Imperator; absolutâ autoritate*

tate ſuâ uſus, omnes Imperij Ordines, ſubditos, amicos, ad bellum evocavit, ut vim vi repellerent, qui minimam indignitatem tolerare recuſaſſet, oſtenderet, ſe ad hoc non temeritate, ſed conſilio deſcendiſſe; tamq; ſe ſuis tuendis ſufficere, quàm impotenter Hunni aliorum libertatem ſuam iniuriam interpretabantur. Dies autem ad quem Copiæ omnes coire debebant, dictus eſt certus poſt mentem tertium. Locus, ad Magdeburgum *urbem ſive* Parthenopolin *patentes campi, quo Imperator cum ſuis ipſe quoq; venturus erat, per ſe potiſſimum cum Fidei hoſte acerrimo prælio decertaturus. Quantæ copiæ, quantus triumfus fuerit, ipſi, qui volent, ibi legant. Ibid. Pag. 8. fac. 2. Equeſtres decurſiones ad Lunæ diem poſt D. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ ad* Parthenopolin. Noſtram *(puta Cæſaris) decernuntur. Hæc prima & ultima ludorum Equeſtrium ſeu decurſionum ſolenniũm per Germaniam origo eſt.* Pag. *5. fac. 2. Hæc ille: Cui combino Joan. VVolff lection. memorab. Centenar. 10. Ex conſilio prudentiſſimorum Virorum, M. Philippi Secretarij, Heinrici I. & Georgij Rixener.* (Hodierno tempore ridentur & exploduntur bona ſcribarum ſuffragia à Thraſonibus) *Heinricus Auceps Imperator 87. torneamenta primus exhibuit nationi Germanicæ* Magdeburgi, *eaq; in laudem & decus eximiæ Nobilitatis; & ad excitandum in nobilibus ſtudium Virtutis & Laudis, in poſterum quoq; celebrari juſſit, cum obſervatione ſtatutorum ſeu legum; quæ ſequuntur: Prima Lex: Ne admitteretur quis Chriſtianæ Religionis hoſtis, aut prævaricator. Secunda, qui contra Cæſaream Majeſtatem & Imperium peccaſſet. Tertia, qui virginẽ viciaſſet, aut viduã oppreſſiſſet. Quarta, qui juramenta, chirographa, & pacta, manu ſubſcripta, ſigillisq; cõfirmata violare, aut negare cõſuevisſet. Quinta, qui prodidiſſet Dominũ ſuum, eumve deſerviſſet in caſtris ex malitia, vel autor fuiſſet datæ in prælio fugæ: ſuosq; ſubditos injuriosè*

prægravasset, pressisset, aut interemisset. Sexta, qui homicidium commisisset: Septima, qui templa expilasset, aut viduas & pupillos deprædatus fuisset: vel molestasset. Octava, qui latro; pirata, prædator, vel sicarius esset. Nona, qui autor novorum vectigalium, aliorumq; Reipubl. gravaminum & incommoditatum exstitisset. Decima, qui adulter, vel mœchator esset. Undecima, qui fœnerator, mercator, seu artifex manuarius foret. Duodecima, qui nobilitatis testimonium non à quarto progenitore haberet. Abhinc quare egregia & utilia hæc Catadroma desierint, varia redduntur à prudentibus & consultis viris causæ. Num verò Virtutis & Fortitudinis exercitia consistere in talis, ocio, patinis, poculis, & phrygiâ mollicie, Turcæq; his expugnari possint, dubito. Sic ille. Vultis tertiari? Hamelman. Chronic. Oldenburg. part. 1. pag. 13: Nun trug sichs zu/ das nach erhaltener *Victori* von den Hünen Keyser Heinrich der Finckeler/ einen herlichen Thurnier zu Magdeburg anrichtete vnd hielte/ (darauff sich auch Graff Vlrich vnd seine Brüder tapffer vnd Männlich erzeigt) mehrerntheils zu dem Ende/ damit der Teutsche Adel desto baß probirt/ vnd ein jeder nach seiner Mannheit vnd Würden geehret/ vnd künfftiger zeit auch ferner rühmliche Thaten zu vollenbringen angereitzet werden möchte. *Alijs quod* INVICTA *sit: velut indefloreata, seu indevirginata* VIRGO. *Matth. Quad.* Teutscher *Nation* herligk. *cap. 61. huc refer vulgares illos versiculos:*

Teutonicas Urbes inter Clarissima Virgo;
Jure tuum cingit parta corona caput:
Nam neq; blanditiæ potuêre, nec arma, minæq;,
Nec tibi Virgineam *vis viciare decus.*

Sed ad rem. Propria Principalis causa, cur Magdeburg Machtburg *nominari mereretur, esset, quod in eâ Deus, qui* fortissimus *est. Iob. 9. v. 19. vires suas exercuerit; & in quâ perpetuò laudatur eius* Potentia *Psalm. 21. 4. in quâ fundavit sibi*

ſibi robur *propter hoſtes ſuos ad compeſcendum inimicum & ultorem. Pſalm. 8.3. ubi vox Dei* Fortis & *glorioſi* poten-ter *intonat, & decorè. Pſalm. 28.4. ubi Deus* fortis *Iſraelis dat* robur & vires *huic populo, Pſalm. 68 v. 36. & oſtendit in illo* robur *ſuum, Pſalm. 77. v. 15. hinc nuper ſcribebamus:*

Omine Machtburgum, Magdburgum nomine dici.
Facta potentia, Virginei mores meruerunt.

Quin & eâdem licentiâ, duceremus à Makeda, Maked Makdburg, *& trajectu K in G,* Magdburg. Makeda *verò fuit ad quam Ioſua quing. Reges egit ad ſuſpendium, Ioſ. 10. & ipsâ ſuperatâ delevit omnes in illâ v. 28. At omen iſtius Voca-buli (ſiquidem* Incendium *ſignificat)* ô Deus ab Urbe noſtrâ deinceps clementer averte! *Sed jam tempus eſt, ut adimam harum commentationum & conjecturarum conopeum & flam-mea.*

Magdburg. Magdburg (*quam ſtilo Dubraviano libr. 2. p. 11.* Arcem Devinam, *hoc eſt,* Arcem Puellarum *appellares) Vera & me-ra Saxonum vox: decorata compoſitione. Prius membrũ* Magd *Dialecto Veteri Francicâ* Virginem eine **Jungfraw/ Jungfer/** *notat. eius rei documentum ſit Antiquæ Francicæ linguæ Symbolum* (auff AltFränckiſch:) Ich keloubo an Gott allmechtigen Fater, Skefen Himmels und Er-do: Und an ſinen Son Jeſum Chriſtum einigen un-ſern Herren: der vone deme heiligen Geiſte infan-gen vvard: vone Maria de MAGDE geborn vvart &c. *ubi quæ nobis,* Virgo, Jungfr/ *Francis* Magede, Magd *dicitur. Adelar. Erich. Chronic. Juliacenſ. libr. 2. Sit igitur* Magdburg Virginum Civitas, *à* Virginitate *per-petuâ; quæ per Emphaſin appelletur,* Die **Magd**/ wegn eins Gottfürchtigen **Magdthumbs.** *Merckel. apud Hortleder. libr. 4. bell-German. pag. 961.* Die **Magd**/ deren Elend Gott

hat angesehn. 1. *Sam.* 1. 11. *puella diligens salvatorem Cantic.* 1. *v.* 3. *sequens odoratum unguentorum ejus. v.* 2. *super quam Deus effudit Spiritum suum. Joël.* 2. *v.* 29. *cujus etiam oculi ad Dominum, qui gratiam fecit nobis. Psalm.* 123. *v.* 2. *&c. de quo plura supra.* Quod aliqui tradunt, urbem à Venere & asseclis eius Charisin aut Gratijs puellis esse nuncupatam, id fusius scribemus, ubi de Civitatis nostræ Insignibus egerimus. *Hanc vekem in istud, horreum trabam.*

Burg non est Græca sed materna vox.

Posterior compositi pars nominis Burg *(ut supra meminimus, quibusdam à πυργῶ, sed non nisi per allusionem, torquetur) Saxonicum est testimonio Gobelin. Person. Cosmodrom. ætat. Sext. cap.* 18. *ubi inquit: Anno decimo Imperatoris Valentiani, Saxones congregati plusquam LXXX. millia Rhenum transierunt, & partes Galliæ, quæ* Burgundia *dicuntur ab eis, occupaverunt. Quoniam illi Saxones à Gallis postea* Burgundiones *vocati sunt. Nam habitacula, quæ ipsi crebra per limites posuerunt,* juxta proprietatem Linguæ Saxonicæ Burge *nominabant. Unde in historiâ Romanâ, ubi de hoc transitu Saxonum legitur, subjungitur: Hos quondam subactâ interiore Germaniâ à Druso & Tiberio filijs adoptivis Cæsaris per castra dispositos in magnam coaluisse gentem, atq; ita etiam nomen ex opere præsumsisse:* Quia crebra per limitem habitacula constituta *(vulgò* Burgos Vestungen *vocant) eorumq; esse prævalidam & pernicioſam manum, Galliæ hodieq; testes sunt, in quibus præsumtâ possessione consistunt. Hæc iste; cui consentit Rodolph. Agricol. Epistol. Philolog. Centur. Goldast. epistol.* 17. *Leccatoris, inquit, nomen est Germanicum, ut alia pleraq; apud nos corrupta, quale est, Reisa,* Burgimagister, *Scultetus: sicut & Gallica, Passagium pro Expeditione bellicâ; Guerram pro bello; Treugam pro indu-*

Burge.

inducijs accipimus. Confer. Christoph. Besold. de natur. popul. & linguar. ort. pag. 58. Veteri Francicâ linguâ Burgi *vocabulum sumitur pro Civitate vel Castro. Læl. Bisciol tom. 1. horar. subsecivar. libr. 13. cap. 22.* Magdeburg *igitur maternæ suæ linguæ nomen acceptum refert; id quod ostendere cupientes eramus.*

Antequam hinc migremus coloniam; illud quoq; recordamur, à Rollenhagio nostro (quem passim aliter allegant & commendant Hortleder. tom. 2. bell. German. Goldast. de honore Medicor. VVilck. in Homer. Cæc. & alij) alicubi nomen illud civitatis immutari, videlicet, Maiskenvvick: *cuius vocabuli syllabæ priores fortassis è superioris Germanicæ idiomate mutuatæ sint, seu de Syriaco* Maeschtuta, *quòd nuptiale notat convivium* Puellarum *causâ fieri solitum. Otto Gualtper. in Nov. Testament. & Matth. 22. Johan. 2. Stuck. Antiquit. Convival. libr. 1. qui & libr. 2. cap. 21. testatur* Maske *apud Hebræos significare, potum, poculum, pincernam; quorum usus in Virginum nuptijs esse suevit.* VVyck & VVick *regionem Urbis denotet Bonaventur. Vulcan. Castigat. Glossar. Græcolatin. Meibom. in Bardovvic.*

Nomen MAGDEBURGÆ adoptivum.

Hactenus nomen Urbis Nativum: sequitur Acquisitum & Adoptivum. *de quo, si cunctas historias evolverem aliquot scribere volumina possim; nunc verò tantùm illud carptim faciam, & paucissima modiolo, non trihorrio, metiar: usq; dum Typographi novam operam indipiscamur. Est autem:*

Magdeburga, *Dos Editthæ Reginæ Angliæ Imperatoris Ottonis Primi Conjugis: eiusdem sepulchrum & Cæmiterium memorabile, ut & ipsius Imperatoris.* Ein grosse vnnd berühmte Stadt. Die Haupt: vnnd fürnehmste Stadt in Sachsen. Eine reiche gewaltige HauptStadt deß Sachsenlands. Ein ehrlicher Sitz der Keyser vnnd

Bischöffe/

Bischöffe/ mit Mauren/ Thurnen/ Bollwercken/ vnd Graven wol beschickt/ voll herlicher Heuser/ lustige Strassen/ grosser vnd zierlicher Kirchen/ darin das Römische Bürgerliche Recht in Sächsischer Sprache beschrieben/ nicht ohne sonderliche Ehrwirdigkeit bewahret/ von *Carolo Magno* bekrefftigt/ dahin auch aller vmbliegenden Völcker Sachen gebracht/ vnd nach demselben gerichtet werden. *Terminus Romani Imperij. Arx Antiqua, sive Vetus κατ' ἐξοχήν.* Eine sehr alte vnd viel hundert Jahren berhümbte Stadt. *Nobilis Civitas. Arx Romanorum Marggraviorum contra trans Albinos populos. Ludorum Equestrium Imperialium prima palæstra. Pulcra Civitas Editthæ. Civitas Germaniæ laudatissima. Opibus & autoritate memorabilis. Magna & insignis. Clara Urbs. Urbs Saxonum celeberrima. Virginea urbs. Metropolis.*

(Metropolis Græca vox composita ex nomine μήτερα seu μητήρ, quæ vulvam significat, & Matrem. & πόλις, quæ civitatem. Vtuntur Latini pro suâ, ut significet Matricem Vrbem, ex quâ in alias Vrbes Coloniæ deducuntur, ut Suid. ait. ac si Parentes essent, & matres, Vrbes. Isidoro libr. 7. Origin. cap. 11. dicitur à Metro, i.e. mensura: quia ad eius mensuram aliæ Civitates disponuntur. vid. Læl. Biscioli. libr. 17. horar. subsciv. cap. 13. n. 1. Requisita Metropoleos constituendæ habetis apud Petil. Monte Corvinat. libr. 2. Exarchi. cap. 5. Biga Iuridic. Politic. VVolff-Elswich.)

Die noch vbrige beständige Schmalcaldische Bundsstadt Magdeburg. Vnsers HErrn Gotts Cantzley/ welcher Stadt billich danck gebührt. *Vrbs munitissima, quæ est una è primarijs civitatibus Saxonum. Vrbs Saxoniæ celeberrima. Matrix Saxonum Vrbs, jam olim & opibus & authoritate insignis: cum quod ex instituto Divi Karoli, Jus Civile Romanorum, linguâ patriâ compendio redactum habeat, quo cæteris eius regionis populis jus dicitur: tum quod Pontifex loci non modo numero Ar-*

ro Archiepiſcoporum adſcriptus; ſed etiam Germaniæ Primas appellatus eſt. Eine Keyſerliche / löbliche / vnd Chriſtenliche Stadt / darin ein Chriſtlich Wandel vnd Weſen. Ein armes Bethulien / darin Gottes Wort vnd zeitliche Wolfahrt friedlich vnd zimblich erhalten. *Imperialis Camera Magdenburg. in ſpecul. Saxonic.* Magdeburgum *Civitas totius Provinciæ Saxonum præcipua, capitalis, ac Senior &c. VVichbild. articul. 10. Privilegiata Civitas. Urbs illa celebris & fortiſſima. Urbs Antiquiſſima. Teutonicas Urbes inter Clariſſima Virgo. Felix Saxoniæ Bethulia, per cuius conſtantiam Deus, propemodum amiſſam Germaniæ libertatem, tum Chriſtianam tum civilem reſtituit. Ioan. Ritzenberg. Urbs munitiſſima. Fribergi in Miſniâ in Electoris Mauricij Epitaph. tabul: 15.* Ein Schlüſſel zu Sachſen / Marck / Hanſeſtädte. Magdeburga *Urbs præ alijs Patrona. Inclyta Urbs* Magdeburg. *Hiſtor. Archiepiſc. Bremenſ. in Adeldag. Virginum Civitas. Siegebert. Gemblac. Chronograph.*

——— *Ad ripas* Madeburgum *nobile ſplendet,*
De ſeptem ſacris ſedibus una nitens.
Condidit hanc Cæſar, qui primus dicitur Oddo,
Oddo Saxonicæ gloria ſumma plagæ.

Conrad. Celt. libr. 4. Amor. eleg. 2. Magdeburgo *nihil munitius. Frideric. Achill. Dux VVirtemberg. Oration. pro German. pag. 52. Natal. Com. libr. 3. hiſtor. Eiza Iurid. Polit. VVolff. Elsvich. diſp. 1. th. 20. Civitas Metropolitana* Meyddeburggenſis. *Sigiſmundi Imperat. Auguſt. Aviſament. apud Goldaſt. tom. 3. Conſtitut. Imperial. pag. 428.* Eine Keyſerliche Reichſtadt in Sachſen vom Keyſer Ottone den 1. deß Namens mit Privilegien vnd Freyheiten begabt. *Eber.* Die löbliche alte Stadt **Magdeburg**; *inſignis Saxoniæ metropolis*, eine fürnehme Heuptſtadt deß Sachſenlands. Weitberümbte / Wolbewahrte / vnd veſte Stadt **Magdeburg**. *Plura jam ſupra ſedeo.*

ſedeo. Iſta verò leguntur apud Æne. Sylv. de morib. German. Otton. Friſingenſ. libr. 6. cap. 20. Thurnierbuch. fol. 19. 20. SchöppenChronic. fol. 1. Andr. VVerner. StiffesChronic. Natal. Com. l. 3. Hiſtor. Saxon. Chron. Pomarij. & Metropol. Crantz. l. 1. c. 3. Georg. Fabric. Saxon. Illuſtrat. l. 9. Spangenb. Chron. Mansfeld. c. 127. fol. 122. Funcc. Chronol. fol. 130. lit. E. num. 4. 5. 6. fol. 138. lit. G. 12. 7. 8. Bunting. fol. 29. b. Seth. Calviſ. Chronol. & Cruſ. Annal. Suevic. libr. 4. c. 2. Brotuff. libr. 1. Chronic. cap. 15. fol. 34. Merckel & Hortleder. libr. 4. tom. 2. bell. German. Herman. Kirchner. vol. 1. Orat. 17. Gunther. Ligurin. l. 6. v. 397. l. 1. v. 556. libr. 6. v. 131. Rittershuſ. ad Ligurin. libr. 6. v. 1. Pag. 115. Spiegel. ad Ligurin. Abraham Saur. Calendar. Hiſtor. Dan. Cramer. Hiſtor. Eccleſiaſt. Pomeran. libr. 1. cap. 26. Laurent. Fauſt. Anatom. ſtatu. Daniel. & Stambaum Fürſtl. Hauß. Sachſen. M. VVolff. Cruger. Onomaſt. Chronol. homin. illuſtr. M. Mich. Hempel. Begrebniß Chur. vnd Fürſtl. Sachſ. Freiberg. M. Quad. Enchirid. Coſmographic. part. 3. c. 10. & Teutſcher Nation Herrligk. cap. 61.

MAGDEBURGUM

CIVITAS, TOTIUS PROVINCIÆ SAXONUM Præcipua, Capitalis, ac Senior. VVichbild. artic. 10.

Poetarum Illuſtrium certatis
ac votivis Encomijs, ab
VERITATIS
ac
FAMÆ
merito
Nobilis & jure memorabilis.

Jul.

JUL. CÆS. SCALIGER. MAGDEBURGA.

VOs Ego magnanimis invictos SAXONAS *armis;*
Atq; gravis Martis turbine, canto, DUCES.
Non Macedo tu Miles eras. Sic Græcia mendax
Facta tua in laudes transtulit alta suas.
Non Veteres huc Te quondam misêre Britanni;
Quin jam servivit Terra Britanna Tibi.
Ipsa tua es: primùmq; tuis cum montibus orta;
Cum cœli ipsius finibus orta tui.
Dives agri; dives quæsitæ vestis, & auri:
Gens, dubium est, Armis Justiciâne prior.
Est Hominis, Patrijs alios bene vincere telis:
Justiciâ teipsam vincere velle, Dei est.

GEORG. BERSMAN. Annæberg.

Est Urbs, ALBI *Tuæ Genitor conterminaripæ;*
Inclyta divitijs, & generosa viris.
Magnus Otho posuit (memor est pro teste Vetustas)
Ac de Virginibus nomen habere dedit.

MARTIN. BRASCH. Grubenhag.

MAGDEBURGA Viris studijsq; asperrima belli,
Spumiferum longos muris porrecta sub Albim
Urbs jacet in tractus, terni discrimina muri
Fecerunt; triplexq; forum; totidemq; SENATUS.

PETR. LINDEBERG. Poet. Cæs. & Regius. MAGDEBURGA.

Quicquid es: & quod es; id meruit Tua Masçula Virtus:
Mens constans; Pietas Enthea, Cana Fides.

Multi

Multi inferre tibi ſtuprum voluêre: ſed usq;
Servaſti ſolitum Virgo pudica Decus.
Ob quod Divorum generoſa Virago vocaris:
Nonne Dei eſt? pro quâ militat ipſe Deus.

GEOR. SABIN. lib. 1. de Cæſar. German.

OTHO Magnus.

Albiacis Urbem vicinam condidit undis
Quæ de Virginibus nomen adepta tenet.

Idem. l. 2.

Urbs ∪∪ Parthenope ſublimibus ardua muris
Surgit, & æquoreis pulſa feritur aquis.

JOAN. SCHOSSER. in Daphn.

Parthenopen, & culti Saxonis agros
Humectat Pater ALBIS, & Amplas alluit Urbes.

Idem.

Veterem-perfluit Aurifer Albis
OTTONUM Patriam.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-63341-p0048-9

Yd 188

ULB Halle 3
002 407 078

56.

Ld 17

nc

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-63341-p0050-1

CONL

CONJEC

se

CONJ

CONLEC

a

ET

MAGDI

M. JOHAN

Typis BO

M. DC